



Oliuae Baeticae



febrero 22, 2009

Quodam die mensis superioris Propertiana carmina legere coepisse mihi dixit et, quamuis natalis meus non esset, donum tamen pulcherrimum mihi dedit, utpote qui, primo primae Propertii elegiae uersu lecto, uiridibus de obscuris oculis meis cogitauerit et eos finxerit tamquam si essent salsae **oliuae Baeticae**:



*Cynthia prīma suīs miserum mē
cēpit ocellīs,*

*--contactum nullīs ante
cupīdinibus.*

*tum mihi cōstantis dēiēcit lūmina
fastūs*

*--et caput impositīs pressit Amor
pedibus,*

*dōnec mē docuit castās ōdisse
puellās*

--improbis, et nullō vivere

cōsiliō.

et mihi iam tōtō furor hīc nōn dēficit annō,

--cum tamen adversōs cōgor habēre deōs. [...]

* **Oliuae Baeticae** cum nobiles fuerint, dicitur improbable esse Plinium (*epist.* 1, 15) eas in hoc ciborum uilum catalogo posuisse. Editoribus igitur modernis *betacei*. Nihilominus, mihi placuit lectionem "oliuae Baeticae" inuenire quadam in epistula Pliniana quae discrimen faciebat inter alteram lautam coenam, praebitam ab eo ipso, perpolito hospite, inter comoedos lectores lirystasue, et alteram coenam apparatiorem, sed uulgarem, inter **puellas Gaditanas**. Vtram coenam illum Septicius, Plinii amicum, maluisse creditis?

sermonis communis est. Ceterum, poetarum "neotericorum" more Propertius deminutius abunde

utitur sensu affectiuo siue erotico. Quae deminuta nomina primis in elegiarum libris magis apparent quam in ultimis, quod referre ad quandam progressiuam polituram styli uidetur.

v. 2. - **cupido, -inis** f. = cupiditas, libido, ardor, desiderium. Fere omnes editores ex Lachmanno "cupidinibus" scribunt ad ardores amoris alludendos sensu abstracto, alii autem ut Beroaldus primam litteram caeteris elatiorem scribunt, id est, "Cupidinibus", deis pinnatis amoris cupiditatisque. Nimis autem ineptum est, iuxta Lachmannum, captum a puella, quem ante *Cupidines* nulli petiuerint, tum ab uno ex ea turba *Amore* perdomitum narrari.

- **contactum** = si "cupidinibus" legimus, hoc uerbum non "uulneratum" hic significat, sed "tentatum ac temeratum" amore.

v. 3. - **fastus, -ûs** m. = superbia, arrogantia. Vocabulum elegiacis carum primum a Catullo (55, 14) usum est significans "superbia eius qui amorem odit".

- **constantis ... lumina fastûs** = "oculi qui firmâ arrogantia adspiciunt". *Constantis fastûs* qualitatis genetiuis est. Nihilominus, nonnulli interpretes aestimant uocabulum "fastus" nominatum esse et "constantis" genitiuum participii usi tamquam substantiuum ad Cynthiam relatum, id est, "illius feminae firmis arrogantia quae deiecit oculos poetae".

- **deicio, -ere, -iêci, iectum** = deturbo, demolior, depello, ad terram praecipito.

v. 4 - **premo, -ere, pressi, pressum** = urgeo.

v. 5. - **odisse** = taedio esse (cf. HOR. *carm.* 3, 1, 1: *odi profanus uulgus*)

- **castas puellas** : quamquam *castae puellae* Musae et Minerua erant, hîc tamen poeta ad feminas patricias siue nobiles ex quibus Romani quodam amplo statu uxorem ducebant, alludere uidetur.

v. 6. - **improbis** : cf. VERG. *Aen.* 4, 412: *improbe Amor*.

- **consilium, ii** n. = cogitatio, ratio. "Nullo uiuere consilio" sibi uult "uitam agere sine ratione tamquam amentem".

v. 7. - **et mihi** : *ei mihi*, legit Rossberg. "Et ... non" pro "nec" usitatum est ex poetis Augusteis. "Mihi" datiuus incommodi est.


- **furor, -ôris** m. = furor amatorius ("topos"), insana cupiditas.

- **deficio, -ere, -fêci, -fectum**, = desum, desero

- **toto... anno** : ablatiuus usus pro "per + accusatiuo" ad tempus continuatum exprimendum primum inuenitur in Catulli carminibus (109, 5: *tota uita*).

Hunc hodiernum commentarium dicare cupio omnibus alumnis meis ***Philologiae Classicae*** (Annabella, Eugenia, Iohannes Carolus, Iohannes et Iesus) qui, nonnullis uerbis huius scriptorii interretialis perlectis, in Orbergianorum librorum studium incumbere eosque pro se ipsos discere mihi promiserunt, necnon illis ***Humanitatum*** (Isabella, Maria Angelorum, Elena, Iohannes Enmanuelis, Leonardus, Carolus, David, Georgius, Sara, Laetitia,...) qui patienter errores meos ferunt et alacres ***Linguam Latinam per se illustratam*** discere pergunt.

Et nunc... **ad Carneleuarium Gaditanum** adeamus! Quis uenit?



Ecce ***Puellae Gaditanae*** Carneleuarii Gaditani anno 2007. Audite cantinellae redienten uersum:

"Cunnilingis, cunnilingus... ut uides, lingua mortua non est!"

Mihi ignoscite, amici alumnique, uerbalem audaciam, precor, sed hoc est
Carneleuarium!



cotidiana res

editiones

feminae

latina carmina

Martialis

Orbergius

Plinius Minor

Propertius